



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Inanis jactantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Cujusdam modò nuptias petebant
 A quodam sene: non moratus ille
 Præconi dedit Eulogo puellam
 Dignum quid fatuo, *Severe* fecit?

Quasi diceret: Nunquid sapienter? nam jacent artes ingenuæ; nec honos eis, nec præmium rependitur. Aulœdi, citharœdi, lyricines, & mensarum sectatores Sycophantæ rem faciunt nugis & facetijs; viri boni & litteris exculsi cum paupertate & inopia conflictantur. Cujus rei Symbolum est *acanthis in spinis* vivens (unde Spinus & Spinulus dicitur) & tamen suaviter canens, cui perpetuæ cum asino inimiciæ. Aristot.

III. (c) Moralem doctrinam suppeditat *Tibia*, quam Minerva abjecit, Marsyas invenit. Hac ille supra sortem suam inflatior, sperabat è divino canendi instrumento, divinum quoque, & cuivis Apollini parem cantum profluxurum. Stolidè. Sunt enim *arma sine arte*, quod gladius sine mucrone; manus sine nervo; nomen sine re. Huc facit, quod Martinus Barletius scribit de Georgio Castrioto, cui heroica facta cognomentum Scanderbegi, seu Alexandri peperere. Is acinace suo poterat hostes ad umbilicum usque medios dividere; unde Mahometes Turcarum Imp. desiderio videndi tam potentis gladij, eum sibi mitti petijt. Qui cum non multum ab ense vulgari differe videretur, subdubitavit Mahometes, an illo ferro vulnera tam truculenta fuissent edita; cui renuntiatum à Scanderbego, acinacem quidem à se missum, quo foret in prælijs uti, deesse tamen ferro brachium, quò fuisset illud vibratum. Unde Symbolum: *non gladius, sed manus: non fistula, sed ars.*

(c) *Inanis jactantia.*

SYMBOLUM IV.

Midas inauratus.

11. *Metam.*

Ethicè.

1. Infelicitas divitum. 2. Stultitia votorum humanorum.

Gordius Phryx, agresti & ignobili genere ortus, rex Phrygiæ consulatus est ab omnibus; quòd ex Apollinis oraculo, primus templum Jovis recens in urbe Gordio ædificatum, ingressus fuisset; in